



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

II. De aetate episcopi, abbatis & diaconi ordinandi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

- IX. *Vt laici res defunctorum suscipere non audeant.* XII. *Vt adulteri & incesti pœniteant.*  
 X. *De iure episcoporum in ecclesiis subiectas.* XIII. *Vt hereticorum & excommunicatorum societatem cuncti fugiant.*  
 XI. *De iure ecclesiarum.*

## P R Æ F A T I O.

**A**NNO incarnationis dominicæ millesimo quinquagesimo sexto, Idibus Septembris, habita est sancta Synodus decem & octo episcoporum apud urbem Tolosam, iussu domni papæ Victoris, qui ob funditus extirpandam simoniacam hæresim, ac reparandum sanctæ ecclesiæ statum secundum priscorum scita Canonum, vicarios vice sua direxit Rambaldum Arelatensem, & Pontium Aquensem archiepiscopos, qui adiuncto sibi Vvifredo Dei gratia Narbonensi archiepiscopo, aliisque coepiscopis ceterarum urbium sancti Petri auctoritate & prænominati papæ iussione, sanctorum patrum... sequentes, hæc in prouinciis Galliæ atque Hispaniæ perpetim obseruanda æstimauerunt.

## C A P I T V L A.

## I.

Si quis episcoporum accepta quocumque modo pecunia ordinauerit episcopum, abbatem, presbyterum, diaconum, aut quemcumque alium, qui numeratur inter clericos, ipse gradus sui subiacet periculo: & qui sic ordinatur, nullum habeat fructum ex huiusmodi mercimonio, sed sit alienus eius dignitatis & ordinis quem per pecunias acquisiuit.

## II.

Item placuit confirmare, sicut scriptum est, vt episcopus vel abbas presbyter ante triginta annos, diaconus vero ante viginti quinque non ordinetur, nisi aut studio sanctitatis aut sapientiæ ornati,

ANNO  
CHRISTI  
1056.

prouidentia episcopi simul & cleri promoueantur,  
& eadem ordinatione fiat, nisi temporibus secun-  
dum Canones statutis: aliter quidem irrita fiat or-  
dinatio.

## III.

Dedicationes item ecclesiarum eadem sancta  
Synodus per pecunias fieri nullatenus voluit.

## IV.

Item placuit, vt nullus clericus, vel monachus,  
vel alius aliquis, pro eis episcopatum, vel abbatiam,  
vel presbyteratum emere præsumat. Sed neque  
comes, vel alia vlla potestas, eadem vendere aut  
precium pro eis accipere audeat. Quod si quis hoc  
transgressus fuerit, nisi resipuerit, & digne satisfac-  
erit, communionem priuetur.

## V.

Statuit item sancta Synodus, vt si quis clerico-  
rum adipiscendæ abbatix causa monachus effectus  
fuerit, in abbatia quidem monachus permaneat,  
sed ad ipsum honorem, ad quem spirabat, nullate-  
nus accedat. Quod si præsumperit, excommuni-  
cetur.

## VI.

Item decreuit, vt abbates curam monachorum  
& monasteriorum exerceant, & eis victum & ve-  
stitum secundum regulam sancti Benedicti præ-  
beant, & hoc agentes proprium eos habere nulla-  
tenus permittant. Ipsi vero monachi absque volun-  
tate abbatis præposituram aliquam non teneant.  
Abbas autem vel monachus has institutiones cor-  
rigentes a propriis corrigantur episcopis.